



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Formularium Episcopale

Barbosa, Agostinho

Coloniae Agrippinae, 1680

Formula XXVI. Licentiae pro Confessario Monialium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10456

item huiusmodi Sacramenti parte ministrari manu tua subscripto familiaribus infirmo relicto, ut medico exhiberi possit, ad formam Constitutionis Pii Papæ V. Conciliorum quærum Provincialium, tum diocesanorum) ministrandi facultatem per... tenore præsentium concedimus, atque impartimur. Te in Domino admonentes, &c.

FORMULA XXVI.

Licentia pro Confessario Monialium.

DRodericus, &c. Licentiam concedimus tibi N. Presbytero per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, ut in Ecclesia, & monasterio S. N. Confessiones Monialium audire, & sæcularium etiam, si quæ in eodem Monasterio erunt, easque absolvere valeas, præterquam à casibus, & censuris nobis reservatis, à quibus absolvendi facultatem cum opus erit tibi impartiemur. In clausuram Monasterii non ingredieris, nisi super pelliceo, & stola indutus, ut administres tantummodo S. Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis, & spiritualem opem agonizantibus præstes, quibus casibus semper tuo hoc munere perfugeris, sociatus à duobus ex senioribus Monialibus, quæ cum Confessiones audis, te etiam videre possint, licet non audire. Cave, ne te Monasterii, aut Monialis alicujus quibuscumque negotiis immisceas, nec ad crates, aut rotas colloquaris, nisi ut ~~in~~ ⁱⁿ eodem modo petas, ea quæ Ecclesiæ

cultu, & divinorum Officiorum celebrationi, aut Sacramentorum administrationi sunt necessaria. Vocatus tamen ut aliquod præstes spirituale consilium id effice ad crates, quæ clausæ sint, præsentisque ad sint Moniales auscultatrices, & non aliter, sub penis Constitutionibus felic. record. Clementis Papæ VIII. & aliorum Summorum Pont. inflictis, arbitrio nostro infligendis. Te in Domino admonentes, &c.

De licentia Monialium Confessoribus, vide sup. alleg. 25. num. 68. cum seqq.

FORMULA XXVII.

Licentia pro Confessario Monialium ad crates tantum, sive allocutoria.

DRodericus, &c. Concedimus licentiam tibi N. Presbytero per examinatores nostros idoneo reperto, & per nos approbato, ut possis in Ecclesia monasterii S. N. Confessiones audire in Confessionali tantum ad id deputato tempore, & hora decenti post ortum solis, & usque ad horam Completorii, quod Confessionale duashabeat claves, quorum altera servetur ab Abbatisa, altera maneat apud Confessorem, nihilque extra Confessionem ibi agas, nec in alio loco possis absque licentia Abbatisæ loqui cum illis Monialibus. Sacramentum autem Communionis ministrare non possis, nisi in loco, aut fenestella consueta cum debito cultu, & ceremoniis.